

8.45.21

*Idem AA. et CC. Heliodoro.*

Empti actio longi temporis praescriptione non submovetur, licet post multa spatia rem evictam emptori fuerit comprobatum.

1 ¶ Si itaque is, quem te comparasse commemororas, nunc in libertatem proclamet, interpellare venditorem sive successores eius debes, ut tibi adsistant causamque instruant.

2 ¶ Quem si liberum esse vel servum non esse fuerit pronuntiatum, nec te conventione remisisse periculum evictionis fuerit comprobatum, praeses provinciae, si res integra est, quanti tua interest restitui tibi providebit.

*S. XI k. Iul. Serdicae AA. consss.*

[a. 293]

8.45.22

*Idem AA. et CC. Iulio.*

Cum tibi liberum venumdatum fundum ab auctore proponas, si ex antecedente obligatione, quod debebatur, iure solvisti, stipulationem, quam subiectam emptioni de indemnitate proponis, ipsius conceptio commissam manifeste declarat.

*S. VII k. Sept. Viminacii AA. consss.*

[a. 293]

8.45.23

*Idem AA. et CC. Eustochiae.*

Cum successores etiam vendoris pro evictione teneri possint, si velut obligata sibi res publica Thessalonicensium pignoris instituat iure persecui, quae comparasti, auctoris heredibus quocumque gradu constitutis adsistere negotio denuntia.

Quod sive praesentibus his fundus quem emisti fuerit evictus sive absentibus, postea quanti tua interest rem evictam non esse teneri, non quantum pretii nomine dedisti, si aliud non placuit, publice notum est.

*S. II k. Ian. Sirmi A A. consss.*

[a. 293]

8.45.24

*Idem AA. et CC. Eutychio.*

Si post perfectam venditionem ante pretium numeratum rei venumdatae mota fuerit quaestio vel mancipia venumdata proclament in libertatem, cum in ipso limine contractus immineat evictio, emptorem, si satis ei non offeratur, ad totius vel residui pretii solutionem non compelli, iuris auctoritate monstratur.

1 ¶ Unde cum parte pretii numerata, domus quam emisti tibi velut pignoris iure obligatae, ne ad emptionem accederes, denuntiatum ab aliquo proponas, iudex tibi quae ex emptione veniunt, praestari providebit.

*S. VI k. Febr. Sirmi CC. consss.*

[a. 294]